

T2

*Satira VI***L'avidità dell'erede**

- 1 Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
 Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
 Mire opifex numeris veterum primordia vocum
 atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,
 5 mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
 egregius lusisse senex. Mihi nunc Ligus ora
 intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
 dant scopuli et multa litus se valle receptat.
 “Lunai portum, est operae, cognoscite, cives”.
- 10 Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
 Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.
 Hic ego securus volgi et quid praeparet austro
 infelix pecori, securus et angulus ille
 vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
 15 ditescant orti peioribus, usque recusem
 curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto
 et signum in vapida naso tetigisse lagoena.
 Discrepet his alias. Geminos, horoscope, varo
 producis genio: solis natalibus est qui
 20 tinguat holus siccum muria vafer in calice empta,
 ipse sacrum inrorans patinae piper; hic bona dente
 grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
 nec rhombos ideo libertis ponere laetus
 nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.
- 25 Messe tenus propria vive et granaria (fas est)
 emole. Quid metuas? Occa et seges altera in herba est.
 At vocat officium, trabe rupta Bruttia saxa
 prendit amicus inops remque omnem surdaque vota
 condidit Ionio, iacet ipse in litore et una
 30 ingentes de puppe dei iamque obvia mergis
 costa ratis lacerae; nunc et de caespite vivo
 frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
 caerulea in tabula. Sed cenam funeris heres
 negleget iratus quod rem curtaveris; urnae
 35 ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum
 seu ceraso peccent casiae nescire paratus.
 “Tune bona incolumis minuas?”. Et Bestius urguit
 doctores Graios: “ita fit; postquam sapere urbi
 cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers,
 40 fenisecae crasso vitiarunt unguine pultes”.
 Haec cinere ulterior metuas? At tu, meus heres
 quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
 O bone, num ignoras? Missa est a Caesare laurus
 insignem ob cladem Germanae pubis et aris

- 45 frigidus excutitur cinis ac iam postibus arma,
iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis
essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
egregie gestas induco. Quis vetat? Aude.
- 50 Vae, nisi conives. Oleum artocreasque popello
largior. An prohibes? Dic clare. “Non adeo” inquis
“exossatus ager iuxta est”. Age, si mihi nulla
iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
nulla manet patrui, sterilis matertera vixit
- 55 deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.
“Progenies terrae?”. Quaere ex me quis mihi quartus
sit pater: haut prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
unum etiam: terrae est iam filius et mihi ritu
- 60 Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut ille
pingitur. An renuis? Vis tu gaudere relicts?
“Dest aliquid summae”. Minui mihi, sed tibi totum est
- 65 quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam
legarat Tadius, neu dicta, “pone paterna,
fenoris accedat merces, hinc exime sumptus,
quid relicum est?” Relicum? Nunc nunc inpensius ungue,
ungue, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
- 70 urtica et fissa fumosum sinciput aure,
ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
cum morosa vago singultet inguine vena,
patriciae inmeiat volvae? Mihi trama figurae
sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
- 75 Vende animam lucro, mercare atque excute sollers
omne latus mundi, ne sit praestantior alter
Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta,
rem duplica. “Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
iam decies redit in rugam. Depunge ubi sistam,
inventus, Chrysippe, tui finitor acervi”.